



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculae

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

Cervus & Vitis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

re erudiat, & impudentiam emendet tuam. Ad hæc Mustela subridens, quid ais ô bone? aut quo tu jure tuam hanc dicis domum? Orbem, si nescis, Jupiter dum conderet, Terram cunctis animantibus sic habitandam dedit, communis ut esset omnibus; & quam quisque occupasset, dicere hanc posset suam. Hunc mihi cavum jure non alio arrogem. Tu, si quod habes melius vel antiquum magis, id profer, aut esse noli molestus mihi; nã facias, ecce jam jam aderit Canis, qui tuam retundat contumaciam. Hæc dum disputant utrinque acrius; objecit se se de proximo Felis retorrída; quam conspicatus Lepusculus; hem age, dixit, adeamus Felem, & totam controversiam dirimat. Imò, Mustela subjicit, alium judicem non velim. Dictum ac factum, Felis ad tribunal advolant. Qui cum adstitissent ambo, & ad dicendam causam se accingerent; Huc adeste propius, Felis ait; surda sum; hoc mihi ætatis vitium ignoscite. Illis parentibus, falcatam hinc & inde Felis injiciens manum utrumque enecat.

## EPIMYTHION.

*Hoc sibi dictum putent, quicumque apud potentiores litigant.*

## CERVUS ET VITIS.

**C**ervus venantes cum fugeret, umbrosam in Vitem incidit. Hoc nactus ex improvise perfugium delituit sedulo, donec conver-  
sis



sis aliò, qui sequebantur ferum, cessisset metus. Max oblitus periculi, nec ipsi Viti parcat, cui debebat, quòd viveret. Scilicet teneræ & pululantis adhuc frondis captus dulcedine, Vitem rodere cœpit avidis dentibus, & spes uvarum lætas disperdere. Verùm dum impunè pascitur, ecce ramorum motus Venantes admonet, non procul latere belluam. Accurrunt illi, & adorti Cervum inter salebras configunt spiculis. Qui cùm suo nataret in sanguine, & moriens efflaret animam: Hæc sum meritus, inquit; neque est de fortis acerbitate quòd querar, qui asyli violârim fidem.

## EPI MYTHION.

*Quibus non dignus pœnis, beneficio qui abutitur?*

## SIMIUS ET VULPES.

## PROMYTHION.

*In agendis rebus nudatur stultorum imperitia.*

**S** Altarât bellè Simius, & mille præstigiis sic devinerat animos, ut communi voce Rex salutatus Regis nomen & ferret decus. Invidit una Vulpes, & regnum dolens futilem ob solertiam obtigisse Simio, has Regi comparavit insidias novo. Nemoris recessus cùm distendisset